

CCXXIII.

Anno 1701. die 11. Junii. Viennae.

Leopoldus Rex novas salium officinas in Croatiae et Slavoniae Regno errigit; salis marini quaestum, sub aliquibus tamen conditionibus, liberum dicit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Siquidem in negotio Salis, nobis haud ita pridem demisse proposito, habita benignissima consideratione et intuitu, quod instante moderno Bello Italico earum Partium Passus et Trajectus maritimi, et exhinc maritima Salium Comercia, concomitatusque, perfacile praeccludi, nostra Croatiae et Sclavoniae Regna necessarijs Salibus destitui vel saltem per privatos eiusmodi Salium Quaestores in pretio plus quam justo aggrauari possent: juxta mentem Articuli vigesimi Sigismundi Imperatoris clementer resolvissimus, quatenus ambo praefata nostra Croatiae et Sclavoniae Regna ad instar dicti Regni nostri Hungariae necessario posthac requisito Sale ex eiusmodi Salium Officinis nostris Caesareo-Regijs undequaque provideantur; et ut eum in finem ibidem Locorum, signanter autem in Szalankamen, et Brod vel Gradiska, nec non in Siszek vel Legrad, novae quoque eiusmodi officinae Salinae erigantur, et per Officiales nostros tam Militares quam Cameraticos manteneantur, nec non ut illiciti abusus, e contra vero in quantum fieri poterit, pro possibili tollantur, neminique alteri istiusmodi Salis Quaestus permittantur, atque ita misera Plebs eatenus de condigno subleuetur; ita tamen ex quo Articulus quadragesimus tertius Anni Millesimi Sexcentissimi trigesimi quinti liberum Salis maritimi Quaestum erga frugum permutationem permittat, ut omnibus quidem licitum sit ex oris maritimis eiusmodi Sales in praedicta ambo Regna inducere, hocce tamen per expressum reservato, ut ejusmodi Salium maritimorum Inductores, tales Sales suos ad Emporia Caesarea seu officinas nostras Caesareas Regias immediate deportare, neminique alteri quam eatenus constitutis Officialibus Cameraticis pro condigno Pretio diuendere, vel vero pro Frugibus cum iisdem commutare teneantur; in quem finem etiam, et ad cujus Commutationis effectum necessaria quoque Horrea ejusmodi Frugibus adimplenda erigantur. Salem Turcicum porro quod attinet, Quandoquidem de istiusmodi Salibus in Generali Regni nostri Hungariae Decreto ne quidem mentio fiat, et ex quo horum Salium usus aliunde nequitam concessus sit: Ideo benignissime statuimus, ne absque Sche-